

inconcinne à nobis genus constitutum habitum, falli verò & fallere cum Paracellum, qui artem; tum Joh. Bapt. Portam, qui scientiam genus Magiæ statuunt, cum prius Theoreticam, posterius practicam Magiam excludat.

§.3. *Differentia* desumitur ab *objecto & partibus integrantes analogis*. *Objectum*, (proprium enim & specificum esse habitus à proprio dependet objecto, unde etiam differentia aliunde sumenda non est) geminum est, res nempe abditæ & opera admiranda. Enim verò Magia, ceu ejus rei supra etiam indicium fecimus, est mundi totius exactior cognitio, ubi ex cœlorum, stellarum, elementorum, effluviolorum, mineralium, plantarum & animalium naturis & viribus delitescentibus investigantur & indagantur arcana. Magia etiam cognitionem ad praxin dirigit, taliaque opera producit, quæ rerum ignavis prodigiosa & miraculosa videntur. *Partes integrantes analogæ* sunt scientia & ars. Scientia non est rerum quarumvis, sed obscurarum. Hinc & divinatrix vocari solet. Ars itidem non est operum vulgarium, sed admirandorum, ubi è rerum qualitibus occultis, vel etiam manifestis mira perficiuntur effecta. Hinc Thaumaturgica dici solet, ceu eam in rem scribit. *B. Sperlingius Institut. Phys. l.2. c.4. p.358. seqq.*

Caput Secundum

tradens

Divisionem Magiæ.

I. Magia dividitur in Theoreticam & Practicam.

II. Theoretica est rerum abditarum & obscurarum scientia. Sic Anaxagoras in siccitate maximâ prædixit pluviam: Democritus olei prævidit caritatem, omneq; in

ε Α